



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Bibliotheca Rhetorum

In quo Causae Forenses, Liber Epistolarum, Liber Fabularum, Et
Oratiunculae

Le Jay, Gabriel François

Ingolstadij, 1726

Rhetor Initiatus Rhetori Candidato post ferias Autumnales rusticanti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71049](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71049)



LIBER EPISTOLARUM.

RHETOR INITIATUS

Rhetori Candidato post Férias Autumnales adhuc rusticanti.

Objurgatoria.

HEus tu! quæ te segnities moratur, Carissime? Ten' rusticari adhuc otiosum, dum Litterario in Ludo jam fervet sodalium tuorum labor, & in novo palæstræ genere de ingenij, doctrinæque palmâ certatur acriter? Quamquam video, quid tam securum te, tamque confidentem faciat. Parùm scilicet te afficiunt, aut etiam movent, quæ nos mirum in modum excruciant prima Rhetoricæ rudimenta. Nihil putas esse tam arduum, tam plenum salebris, tam intricatum difficultatibus, quod pro ingenij solertiâ ac sagacitate non vincas statim ac superes. Felicem te profectò, qui tot ad rem gerendam feliciter adjumenta nactus es! Infelices nos, quibus par præsidium gratulari non licet! Tamen utinam, uti confidis, ita tibi succedant omnia, neque aliter sentire incipias, cum hîc aderis. Nam si nescis, Amice, peregrino versamur in loco, in quo nemo

L 5 hospes

hospes haberi non possit. Interim miramur non adesse te & curiosis nequicquam oculis absentem vestigamus. Crede mihi, moras abrumpere omnes, & ad urbem citus advola, si sapias. Satis hucusque ludo & oblectamentis datum est; animum ferium indue & avidum laboris. Nam neque nugis, neque socordiae locus hic vacat. Sed quid ego te diutius moror? Vale; nihil rescribas nobis, sed veni.

RESPONSIO.

Excusatoria,

A Ccusasti Amicum tuum negligentiae, & plus aequo amantem otij increpasti, quod exactis Autumnalibus feriis rusticari pergam, dum tu Litterarium Ludum ingressus chartis impallescis. Parce tamen hanc mihi hodie affingere calumniam, quam alias fortasse non ita facile depulisses. Nunquam ego abruptissem lubentibus moras omnes, quae regressum in urbem retardare solent, nisi me timor quispiam subrusticus, quem irridebis haud dubie, etiamnum retineret. Dicam ingenuè, quod res est; nam cur dissimulare quidquam tecum velim? Vel ipsum Rhetorices illius, quò vocamur, limen religiosum quemdam horrorem ac metum semper incussit. Audivi enim quàm multa narrentur à multis, quae confidentissimos quosque perterrent. Novum illic aiunt vigere doctrinae genus, novas vivendi leges, novam disciplinae rationem, novos incolas, verbo dicam, nova omnia; sic ut in eo solo nemo non hospes ac peregrinus videri possit. Ego, qui meticulosus naturam meam sum, mirum est, si refugiam illuc accedere? Tu confidentior paulò, ne dicam auda-